



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CXXII. Differentia 13. Omnia iura habentia causam continuam vel
discontinuum iure Canonico contra Ecclesiam præscribuntur spatio 40
annorum conformiter,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

CXXII.

DIFFERENTIA 13.

Omnia iura habentia causam continuam vel discontinuam iure Canonico contra Ecclesiam prescribuntur spatio 40. annorum conformiter, c. de quarta, c. Vigilanti, & c. fin. de prescript. iure civili autem in iuribus non habentibus causam continuam, vel quasi, requiritur tempus, cuius initium non extat memoria, l. 2. ff. de aqua plu. a. c. c. 1. de prescript. in 6. Bartol. 73.

L CASus in c. de quarta, est: Clericus quidam prescripserat quartam decimarum, & oblationum, quae ad episcopum pertinebat, quarebatur, an se tueri contra episcopum posset? Respondit Alexander III. posse se tueri contra episcopum annorum 40. prescriptione, nisi interim ecclesia pastore vacaret, qui ipsius iura exigeret. Addit contra tacitam objectionem, an non 30. annorum sufficiat prescriptio? à Romana ecclesia triennem prescriptionem non admitti, quod observatione dignum est. Hodie enim sola 40. annorum prescriptio contra ecclesiam currit, nullâ distinctione factâ inter monasteria, & ecclesiam, c. ult. 16. q. 3. Sotol. 4. de iust. q. 5. art. 4. Benac. Tom. 2. p. 418. Card. Lugo disp. 7. sect. 6. n. 73. ubi monet privilegio concessum esse ordini S. Bened. ab Eugenio IV. & Iulio II. Congregationi S. Salvatoris, ut eorum res immobiles prescribi non possint contra ipsos, nisi annis

60. Quo privilegio fruuntur etiam, quicumque communicant illorum gratiis. Nomine rerum immobilium hîc, ut alibi, veniunt redditus, census, servitutes, iura, & actiones ad immobilia.

II. Quod leges attinet l. 2. ff. de aqua plu. arcenda, de agrorum servitutibus varia capita continet; atque illud imprimis, agi non posse contra eum, cuius in agro ruptus agger est cum aliorum damno, si ejus facti non extet memoria. Tunc enim longi usus & prescriptionis extat probatio, hinc Bartolus, & Galvanus presentem differentiam hauserunt, quasi generaliter ad prescribendum in iuribus non habentibus causam continuam requiratur tempus, cuius initium memoria destitutum sit.

